



**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

xxv [i.e. vi]. Qualis esse potest etia[m] judicium & discursus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

prædicabilis , aliud item universale esse , & fieri quid relativum (saltem secundum dici) sive unum respiciens multa ; aliud, universale cognosci, esse quid relativum, cognosci ut respiciens multa , ut prædicabile de multis, quod posterius non fit nisi per actum comparativum. Si tamen per universale intelligatur non tantum ex se, sed & ex parte intellectus proximè aptum prædicari , ad illud constituendum requiritur actus reflexus, naturam abstractam comparans cum inferioribus ; ad hoc enim , ut natura prædicetur de inferioribus , appareatque ratio identitatis prædicatum inter & subjectum , opus est, ut natura reflexè comparetur ad inferiora, videaturque, an illis conveniat, & num hæc sub ea contineantur.

VI. Hæc cognitio formativa universalis non tantum est apprehensio , sed & judicium, & discursus ; et si enim certum sit, naturam primò fieri universalem per apprehensionem quâ multa similia apprehenduntur per modum unius, adeoque quando universale actu prædicatur, non fiat primò universale, sed factum supponatur per præviam apprehensionem ; bene tamen etiam dicitur , fieri

fieri universale per judicia (dummodo sint talia, ut per particulas universales, aut particulares, aliasve, universalitati non obstent) & consequenter etiam per discursum constantem talibus propositionibus , eò quod absurdum non sit , unum aliquod objectum bis confusè cognosci , ac proinde bis fieri universale.

VII. Unitas universalis est formaliter ipsa cognitio universalificans, cum enim unitas præcisa ex parte objecti sit impossibilis, & unitas individuis intrinseca nulla detur , præter numericam , supereft hæc sola unitas cognitionis , per quam natura redditur extrinsecè indivisa in se , quatenus ita concipiatur , ut nulla appareat intellectui divisio & diversitas individuorum ; unde licet hæc cognitio repræsentativè sit multiplex , id est , repræsentet multa , habet tamen suam quoque in repræsentando unitatem , cum illa multa repræsentet per modum unius , adeoque etiam repræsentativè est una.

VIII. Aptitudo universalis remota est naturæ cuiusvis singularis secum ipsa identitas , ratio enim , cur natura communis possit inesse multis & prædicari de multis , hæc est ,
quod